

Etimis & hecatombis, convenit eum colere. 6. Cùm animus sit corpore præstantior, virtutes autem animi sint possessiones, pecuniæ corporis, consentaneũ est, virtutes pecuniis anteponendas esse. 7. Ipse sibi utilis esse nequit, & vobis erit utilis? 8. Solum bonum virtus. Nam id demũ bonum est, quo nemo malè uti potest. Virtute nemo malè uti potest. Bonum est ergò virtus. 9. An pecunia est bona, quã quisq; malè uti potest? 10. *Cic. 2. de legib.* Cùm summos deos esse concedamus, & eorundem benignitatem hominũ consulere generi, & posse nobis signa futurarum rerum ostendere, non video cur divinationem esse negem. 11. Lætus sum laudari me abs te laudato viro. Ea est enim profectò jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. 12. Magnum ex ejus defensione fructum capies. E. res ejus tibi commendatas esse cupio. 13. Magna mihi est cũ hoc homine necessitudo. Me diligit, observat, est honestus, est multis virtutib. præditus, nec difficile tibi est eum ornare ac provehere. Ex his videre est, oratores non semper observare ordinem propositionum syllogismi. Ordiuntur sæpè à conclusione, aliàs à minore, rarò à majore.

4 *Magna est vis inductionis in urgendis adversariis.* Hic autem peculiaris est clausula: Et multi alii; Sed quid ago? In finitum foret: vel longum, singula recensere.

5 *Enthymemata conveniunt orationib. vehementioribus, exempla lenioribus.* Hinc oratores illa adhibent, cùm pungerè & urgere volunt adversarium, ista cùm mollissimè suadere cupiunt. Demosthenes certè orator acerrimus, plurimis utitur enthymematis: at Isocrates, qui scripsit orationes suas, plurimis utitur exemplis.

Analysis methodica est, quã longior tractatio recognoscitur. Analysis
methodica.

Estq; vel historica, vel didascalica.

Analysis historica est, quã historiam seu thema singulare recognoscimus secundum circumstantias, quæ sunt cause, effecta, subjecta & adjuncta, de quibus est versus:

Quis, quid, ubi, per quæ, quoties, cur, quomodo, quando.

Vel: Quis, quid, ubi, quib. auxiliis, cur, quomodo, quando.

Fff